

In vocibus per crasin conjunctis, ut *κάτι, κᾶν, κᾶν* (i. e. *καὶ ἐν, καὶ ἄν*) et similibus scribendis, rationem a vetustioribus MSS. servatam diligenter secutus sum. Iota scilicet nusquam addi oportet, nisi ubi *καὶ* cum diphthongo crasin efficit, ut in *κᾶτα* pro *καὶ εἶτα*. Hoc post alios monuit Dawesius. (A)

Ἄει, Piersono jubente, Brunckio non nolente, semper sine diphthongo scripsi, idem facturus in *ἄετος, κλάω* et *κάω*. (B)

Brunckius secundas futuri passivi indicativi personas in *ει* semper, non in *η*, terminavit; secundas etiam præsentis ego ad eandem formam reduxi. Analogia nempe postulat, ut vocalis corripatur in indicativo, producat in subjunctivo, *τύπτομαι, τύπτει, τύπτεται, τύπτωμαι, τύπτῃ, τύπτηται*. Neque causæ quicquam est, quare codicum auctoritas objiciatur. In his enim rebus nulla est codicum auctoritas. Satis constanter *ει* pro *η* præbent Aristophanis editiones. Pauca tamen loca sunt, ubi altera terminatio in aliquo MS. non exstet. Contra apud Tragicos non raro diphthongum *ει* pro *η* offerunt MSS. Quod si in hac re et similibus aliquoties aut meo aut typhothetarum errore peccatum est, ignoscet æquus lector, secum reputans, quam facile et mentis et oculorum acies hujusmodi minutiis examinandis hebetetur. Hujus regulæ meipsum oblitum esse video v. 255, ubi *κακύνει* adeo reponendum in addendis monui, et nunc reposui. (C)

In Hecuba, ut a me edita est, neque omissi verborum augmenti, neque admissi in paribus senariorum locis anapæsti exemplum occurrit. Locus unicus, qui